



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 3 An subsistat legatum ab Onufrio Berthæ concubinæ relictum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

beri legitimi succedunt ab intestato aviæ maternæ, aliisque per maternam lineam ascendentibus. *l. mo. destinas s. ff. unde cognati, &c.*

De eodem jure communi, in qua portione, & quomodo filii naturales succedunt matribus, & aliis ascendentibus per lineam maternam, in eadem matres, & alii ascendentes succedunt ipsis, quando tales filii carent descendentibus. Uti docent communiter DD. apud Molin. *D. 166.* ut sic par pietas descendentium servetur cum ascendentibus juxta cit. *Auth. quibus modis natur. effic. sui.* & *Auth. licet. C. de natural. liber.*

311 Ad 3. videri potest non subsistere legatum Berthæ Concubinæ factum; tum quia tale legatum palam turpitudinem præfert, utpote factum ab homine adultero, & incestuoso personæ iisdem criminibus contaminata; tum quia nulla lex, nullus actus potest esse justus, ac ratus, qui peccatum gignit, & fovet; sed talis actus est legatum ab amatore pellici factum, utpote quod gliscentem pellicatûs libidinem incendit, præteritarum voluptatum nefariam memoriam renovat, & futurarum similium illecebrarum appetitionem inflammat. Nihilominus haud dubiè tenendum est, tale legatum subsistere, & pium

esse. Ratio est, quia mentem hominis Christiana fide imbuti, decedentis, qualis fuit Onufrius, piè interpretari debemus, & credere, illum amore propriæ animæ, & ex motivo christianæ pietatis incitatum fuisse ad eam pecuniam Berthæ relinquendam. 2. Quia dubitandum non est, titulum dotis, quæ maritandis puellis, & egentibus mulieribus constituitur à testatoribus, cum pietate & religione conjunctum esse; tale est legatum Onufrii Berthæ relictum: ergo. 3. Quia Legatum, quo à flagitiosa vita pauperes, & infames mulieres revocantur, aut revocari possunt, pietate non caret; tale est legatum Onufrii Berthæ factum, eò tendens, ut Bertha in legitimo matrimonio collocata à turpis quæstus periculo abduceretur. Ergo.

Nec obstat ratio dubitandi in contrarium allata; nam nec infamia legantium, nec dedecus & improbitas legatarii improbum, & turpe legatum efficiunt, modo id, quod legatur, pietatis legibus administratur, sitque res per se bona & officio christiani hominis consentanea. Sic si sceleratus Christianus Judæo, vel meretrici gravissimè morbo vel fame laboranti succurrat, non ideò turpe erit ipsum subsidium, quia turpitudine in personis versatur.